

I.

De codicibus manuscriptis Augustini quae feruntur
quaestionum Veteris et Novi Testamenti CXXVII.

Scripsit

Alexander Souter Oxoniensis.

(Vorgelegt in der Sitzung am 13. Jänner 1904.)

Opus haud ita parui momenti, *Quaestiones Veteris et Novi Testamenti*¹ titulum, quod in codicibus Augustini nomine fertur,² merito in appendicem operum patris illius, ut spurium, ab editoribus relegatum est. Nam multa continet doctrinae eius aduersa et generi dicendi contraria. At de auctore uero minus consentitur. Hoc tantum omnes fere censent, eum fuisse eundem qui Tractatus illos in Epistulas Pauli solito Ambrosii rarius Hilarii³ nomine traditos scripserit.⁴ Sententiae huic Marold solus quod sciam aduersatus est, falsis argumentis usus, ut u. d. G. Morin demonstrauit.⁵ Rem totam in libro, qui iam partim prelo traditus est, tractare sum adgressus, haud sine spe dubitationem omnem amotum iri.⁶ De nomine huius auctoris uarie coniecerunt uiri docti, sed non opus est hic enumerare eorum temptamenta.⁷ Hoc solum ponam, Morinum primo no-

¹ Proximam editionem curauit Migne, P. L. XXXV, 2213—2416. Loci hic laudabuntur secundum paginas uersusque illius editionis.

² Sed uide infra, p. 3. Vix dubium est quin opus Augustino tributum sit ob alia opera similis tituli, quae ad eum uere pertinent.

³ H. Zimmer, Pelagius in Irland, p. 117—120.

⁴ Cf. Teuffel-Schwabe, Geschichte der röm. Literatur⁵, § 418, 5; § 435, 4; Jüllicher, Pauly-Wissowa, Real-Encycl., s. u. Ambrosiaster.

⁵ Revue d'Hist. et de Litt. relig. IV (1899), 98.

⁶ A Study of Ambrosiaster (Texts and Studies etc., Cambr. vol. VII), p. 23 seqq.

⁷ Ibid. p. 4 seq. post Morinum, l. c., p. 98.